

DEMONSTRATIO I.
Datur fluidum summe activum & longe subtilius ipso aere.

Experimenta.

1. **S**I tubus Torricellianus invertitur, maximo cum impetu argentum vivum ruit in vacuum, dum ferme nullam ibi reperit resistantiam: Quod si autem in eodem tubo spatium relinquatur aere repletum, & tubus invertatur, tardissime argentum vivum descendit, ipsumque aerem condensat, qui forma bullularum juxta latera vitri transit & petit superiora,

2. Liquida, praesertim spirituosae, indita Phiolae longioris colli admoto calore admodum expanduntur, & majorem locum in hac occupant propter ingressum fluidi tenuissimi in poros liquidi factum.

3. In thermometro quod constructum est ex globo vitreo, cui inditus tribus longus cum liquore, facta accuratissima clausura aerisq; debita condensatione, quando cunque tantum leviter calida manus globo applicatur, subito liquor petit superiora.

4. Ex limatura Martis indita Phiolae desuper affusa certa quantitate olei Vitrioli & aquae, excuscitatur ingens motus, copiosaeque bullulae ex illa egrediuntur, vitrum incalescit, & quando cunque orificium Phiolae digito tegitur, postea aperitur, cum fragore insigni vapor egreditur.

5. Lacryma vitri, quando apex ejus frangitur, magno cum fragore in minutissimum pulverem resolvitur & dispergitur, quod fit ob fluidum aethereum subito frigore, in elaboratione hujus corporis accedente condensatum, & sub firmo cortice eoque fornicato vitri incarceratum, quod dato libero egressu magna cum violentia sese expandit o-